

38

C L I V I A
D V C A T V S,
ET
D O M I N I V M
R A V E N S T E Y N.



Fines.

Livia ad utramque Rheni ripam porrecta à *Clivis* capite totius Ducatus cognominatur. Ab ortu habet Ducatum Bergensem, Comitatum Marchiæ, ac Westfaliæ Ducatum: à septentrionibus Zutphanæ Comitatum, Transisalaniam, ac Bataviam: ab occidente Gelriam & Leodicensem tractum: à meridie Colonienfè territorium & Ducatum Iuliacensem. Ælium Gracilem ferunt, cum opibus & potentia floreret in Gallia Belgica, donatum à Pipino & Carolo Martello ea parte Bataviæ, quæ tunc temporis Teisterbandiæ Comitatus appellabatur, postea vero Clivia dicta est, antiqua Menapiorum sedes. Successere illi ordine Theodoricus, Rheinaldus, Rudolphus, Ioannes, Robertus, Balduinus, alique, usque ad Ioannem, qui ab Ælio fuit vicesimus septimus. In hoc desit familia. Cooptatus tamen ab Imperatore, & provincialibus in jus familiæ Adolphus, qui in Constantiensis concilio à Sigismundo Imperatore Dux Cliviæ dictus est. Etsi vero nos eam Belgicæ tribuamus, & quidem Germaniæ inferiori, ac proinde etiam Galliæ, habet tamen magnam quoque sui partem ultra Rhenum, in Germania magna. In ora Gallica oppida sunt *Burich*, *Santen*, olim Vetera, in cujus agro tophus ex antiquis ruinis colligitur; *Cleve*, *Calcar*, *Griet*, *Grietbuisen*. In ripa Germanica sunt *Vesalia*, *Duisburgum*, *Embrica*, *Reza*.

Oppida.

Vesalia.

Inter omnes magnitudine excellit *Vesalia*, sita in ripa Rheni Germanica, ad ostium Lupiæ, opportuno admodum mercaturæ loco, ingenti ex vicinis agris rerum incremento potens & dives facta. Eberhardus Comes Cliviæ & Teisterbandiæ nonus (fuit autem Teisterbandia ditio illa omnis, quæ Mosa, Vahali & Rheno circumscribitur, in qua etiam hodie insignia sunt dominia) largus fuit in personas Ecclesiasticas religioni consecratas, multaque iis donavit. Theodorico VIII dedit Rudolphus Habspurgensis *Vesalia*, cum castro *Rhynbergenfi*. Theodoricus IX, qui filiam Alberti Austriaci Imperatoris uxorem duxit, jus habuit in *Vesalia*.

faliæ & *Rhynbergam*, idemque conventum Prædicatorum *Vesaliæ* exstruxit. Edidit & viros eruditos *Vesalia*, atque inter eos eximium, *Arnoldum*, cui à patria cognomen *Vesaliensis*. Hic commentarium scripsit in decalogum, editum *Coloniæ*, anno 1542. Insigne hic etiam est monumentum pietatis, fundatum & consecratum à parentibus *Henrici Oliverii Baers*, *Cliviæ* Cancellarii, domicilium scilicet, in quo senes & decrepiti large sustentantur, quorum reditus hujus filius postea auxit. Initio Belgicorum motuum hospitium hic fuit profugis *Hollandis*, *Zelandis*, *Artesis*, *Flandris*, *Brabantis*: atque ex peregrinorum solertia crevit opibus, mercatura, potentia. Sed postquam *Hispanus* nullam sibi invadendi *Batavos* viam reliquam patere intellexit, quam per *Cliviam* & *Gelriam*, exposita semper fuit excursionibus & invasionibus potentiorum, exercitus suos per hæc loca ducentium. *Franciscus Mendoza* Architalassus *Arragoniæ*, & *Hispanici* exercitus Præfectus, anno 1598, extorta à Magistratu ingenti pecuniæ vi, eò adegit *Senatum*, ut coactus fuerit anno sequenti etiam religionem mutare, admisisse in templa omnia Pontificiis. Post obitum vero Ducis *Cliviæ*, occupavit urbem *Ambrosius Spinola*, quo tempore & *Ordines Fœderati* *Embricam*, & *Resam* pari jure sibi vendicarunt, multisque annis ingenti præsidio *Hispanorum* militum obsessam in sua potestate habuit, intentus in omnes occasiones, quibus progredi ulterius, & *Gelriam*, *Transisalaniam*, cum dicecesi *Trajectensi* posset *Hispanorum* imperio adjungere. Anno 1629, mense Augusto, cum, obsessa ab *Auriaco* Principe *Frederico Henrico Sylva* ducis, Comes *Herenbergensis* cum *Hispanorum* ac *Cæsareanorum* exercitu *Isalam* trajecisset, *Velaviam* occupasset, *Amersfortiam* deditione accepisset, insigni stratagemate sub ductu ac moderamine *Otonis de Gent* capta sub *Fœderatorum* *Ordinum* potestatem venit, hostique necessitatem imposuit, ob interclusum comitatum, *Amersfortiam* & *Velaviam*, tandemque *Isalæ* ripam ac castella ibidem exstruenda deserendi.

Clivia primum Ducatus oppidum, arce *Cliviæ* jam diruta, olim celebre fuit & amplum, sicut ex rudibus in vicino agro apparentibus colligere est. A clivosis collibus, in quibus situm est,

O o nomen